



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XVII. qui filii sint legitimi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

AD TIT. XVII.

Qui filii sint legitimi.

Quæstio utrum proles, quam pater genuit ex concubina soluta, durante matrimonio, sed invalido sit censenda naturalis, an spuria? Respondetur. 1. Si post declarationem nullitatis concepta & nata sit, certum est eam esse naturalem quia procreata ex iis, inter quos poterat esse matrimonium, Respondetur 2. etiam conceptam & natam ante esse naturalem, ex eadem ratione: quia à parte rei non est impedimentum. *arg. cap. cum in Apostolica. de sponsalib.* Ubi litis pendentia non impedit secundum validè contrahi, si primum erat nullum & c. *Tua fraternitas. de spons. duor.* Licet puniri tales possint, & usus posterioris interdicens sit, donec de nullitate prioris constet.

Probatur secundò. Omnis proles nata ex matrimonio invalido, bonâ tamen fide contracto saltè ex parte unius, est legitima. c. *ex tenore h. t.* Ex hoc privilegio; non potest tamen idem operari vitium spurcitatatis, neque ex natura sua, quia est nullum, neque ex Jure, quia hoc nullibi exprimitur, ergò proles in casu nostro non est concepta ex adulterio; ergò non est spuria, sed naturalis.

Probatur tertio. Si talis pater post declaratum matrimonium nullum illam duceret, ex qua progenit, legitima ret illam, ergò est naturalis.

Filiatio legitime probatur per nominationem parentum, & non creditur

illis contrarium postea asserentibus etiam tum juramento. *Gonz. ad c. per suas 10. sup. de Probat. Fagnanus.*

Ad num. 7. in fine adde. Separato matrimonio in facie Ecclesiæ contracto, filii geniti vel concepti ante ipsam separationem sunt legitimi. *Gonz. ad cap. cum inter. 2. h. t.*

Ad num. 11. in fine adde. Filius naturalis per subsequens matrimonium efficitur legitimus & habilis ad succedendum in bona paterna. *Gonz. ad cap. conquestus 1. h. t.*

Ad num. 12. in princ. adde. Objicitur hîc Novell. 89. c. generaliter. Sed non solvitur. Dic eam procedere vel in legitimatione per rescriptum, vel spectato jure civili, non etiam jure Canonico, quod hac in parte attendendum. Ita *Covarr. hic. p. 2. §. 1. c. 2. n. 15.*

Ad num. 18. in fine. Quæres. Si Christianus imprægnat infidelem, hæc postea conversa ducatur ab illo in uxorem, eritne proles legitima? Ratio quia in tempore conceptionis non potuit inter ipsos esse matrimonium? Videtur quod non.

Ad num. 13. in fine adde. In terris Ecclesiæ potest Pontifex quoad omnia illegitimos legitimare; in terris verò alienis quoad spiritualia tantum dire&e, quoad temporalia verò indire&e & c. *Gonz. ad cap. per Venerabilem 13. h. t.*

AD TITUL. XVIII.

Qui matrimonium accusare possunt, aut contra illud testificari.

Observe quod Confessarius non teneatur admonere contentem, qui
inva-